MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-8

AUTHOR:

ANTON, AUGUST F. M.

TITLE:

"DE INTERPRETATIONE LOCORUM ..."

PLACE:

HALLE

DATE:

1844

Master Negative #

91-80313-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Anton, August Friedrich Moritz,
..."De interpretatione locorum quorundam, quibus siderum mentionem facit Horatius." Halle, Waisenhaus, 1844.
30 p. 29½ cm.

At head of title: Jahresbericht über die von der familie von Witzleben gestiftete klosterschule Rossleben... Voran geht eine abhandlung des... Dr. Aug. Fr. Mor. Anton.

 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 5 Düpe

Jahresbericht

über die

von der

Familie von Witzleben

gestiftete

Klosterschule Roßleben

von

Ostern 1843 bis dahin 1844.

Voran geht eine Abhandlung des Mathematicus Dr. Aug. Fr. Mor. Anton:
„De interpretatione locorum quorundam, quibus siderum mentionem facit Horatius."

Halle,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1844.

Nec brevis est usus nec amat compendia coelum.
Manil. Astron. V, 305.

De interpretatione locorum quorundam, quibus siderum mentionem facit Horatius.

Horatius a stellis nisi formositatis, potentiae, gloriae nullas petit imagines easque tam raro, ut caussas circumspiciamus, cur ipsas eas arcessierit. Quae quidem facile apparent singulos locos diligentius considerantibus. Nam primum in Sat. I. 7, v. 22 — 27. poëta inflatam ex veritate depingit orationem hominis Graeculi, qui ira incensus

„Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis,“
Voce ruit et
— — — „ridetur ab omni
„Conventu“
„Solem Asiae Brutum appellat stellasque salubres
„Appellat comites, excepto Rege, Canem illum
„Invisum agricolis sidus venisse:“

deinde in epod. XVII. v. 40. 41.

„tu pudica, tu proba
„perambulabis astra sidus aureum“

in Canidiae irrisionem verborum pompam quaerit: denique in carm. III. 15, v. 4 — 6., ubi virgines candidis cum stellis comparat, et in carm. III. 19. v. 26., ubi Telephum puro similem esse dicit Vespero, Graeca videtur secutus esse exempla. cf. Mitscherlich. ad. h. l.

Restant duo loci Carm. I. 12. v. 45—48.

— — „micat inter omnes
„Iulium sidus, velut inter ignes
„Luna minores"

et Carm. III. 25, v. 3—6.

— — — „quibus
„Antris egregii Caesaris audiar
„Aeternum meditans decus
„Stellis inserere et consilio Iovis"

Quorum in altero „*Iulium sidus*," etsi per verba adiecta ad crinitam illam stellam referri non potest, quae ludis Veneris Genitricis anno post necem divi Iulii ab Octaviano in honorem Caesaris institutis apparuit et per septem dies continuos fulsit: tamen ad Caesarem recte referri videtur populique quasi exprimit opinionem, qui illa stella Caesaris animam inter deorum numina receptam significari facile sibi persuasit. cf. Ovid. Metam. XV. v. 839—850., Senec. Quaest. natural VII. 17. med., Plin. h. n. II. 23 extr., Sueton. Caes. c. 88., Dio Cass. XLV. 7 in., Heyn. ad Virg. Eclog. IX. 47. Vix igitur audax videatur imago, praesertim cum, ut Suetonius eodem loco narrat, quasi ad comprobandam vulgi opinionem simulacro Caesaris in vertice adderetur stella, quae postea ad nummos gemmasque transiit. Praeterea non mirum videbitur, nomen C. Iul. Caesaris, qui originem repetierit ab *Iulo, Iulii* sideris imagine celebrari, cum Venus Genitrix nomen tribuerit stellae,

Quam Venus ante alios astrorum diligit ignes, Virg. Aen. VIII. 590.

Nec ita multo audacior apparebit imago iis, qui ad Marcellum verba referunt, considerantibus, a Caesare facile transferri imaginem ad Marcellum, in quo tum domus Iulia niti videbatur. Hunc mihi Marcellum Horatius v. 45. et 46., Caesarem ipsum v. 47 et 48 videtur significare perturbato sane ordine, at non magis perturbato, quam in superioribus versibus, ubi statim a superbis Tarquinii fascibus transilit ad Catonis „nobile letum" et Camillum post Fabricium Curiumque et hos post Aemilium Paullum et hunc post Scauros effert laudibus.— De tempore, quo carmen scriptum sit, infra quaedam adscripsi.

Nec dissimilis est ratio loci alterius, quo stellis inserere cupit aeternum decus Augusti. Nam cum decus illud stellae a Caesare patre ad Caesarem filium facile transiret, poëtae iam locum coeli eumque inter signa zodiaci potentissima circumspi-

ciebant, in quo Augusti sidus inscriberent eadem audacia, qua nostris temporibus viri docti aut deserta coeli loca implent rebus aeterna memoria dignis aut sideribus in angustias compulsis loca aperiunt immortali insignium virorum gloriae. Sic Virgilius Octaviano vindicat honorem Homeri heroibus negatum Georg. I. 32—36

Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius et coeli iusta plus parte relinquit.

Ceterum Augustus deiectus de sede coelesti vel potius numquam vere receptus est inter sidera: post illa tempora usque ad nostram memoriam multo turpiore adulatione aut vere aut per speciem recepti sunt nonnulli, qui sedem coelestem multo magis dedecorant, quam Augusti imago. cf. Gehler physic. Wörterbuch „Sternbilder."

Cum igitur Horatius *omnibus* locis illis aut *in irrisionem*, velut Persii et Canidiae, aut *Graecorum poëtarum imitatione ductus* aut denique *populi opinione commotus* stellarum splendorem ad homines transtulerit: stellas tanquam imaginum fontes omnino videtur praetermisisse. Nulla enim alia sunt Horatii carmina, in quibus aut numinis divini potentiam ac providentiam aut principum virorum virtutes ac gloriam aut virginum formositatem atque innocentiam aut alias res, ad quas depingendas poëtae cum nostri tum maxime Asiatici in coelum ascendere solent, imaginibus a stellis repetitis illustrarit.

Omissis his imaginibus Horatius sideribus utitur primum ad describendam coeli regionem, velut Carm. II. 15. v. 15—17.

„nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton"

et Carm. I. 26, v. 2 et 3.

— — „quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae:"

deinde ad tempus et diei et anni tempestatemque agricolis, pastoribus, nautis aut opportunam aut molestam apte significandam*). Qua in re non tam poëtarum, quam

*) Quae de sideribus magicis et natalicilis leguntur apud Horatium, in hanc quaestionem non cadunt.

agricolarum, pastorum, nautarum sequitur mores, quibus antiquitus, cum subtili carerent temporum notatione, nulla certior designandorum temporum videbatur ratio. Qua omissa ratione, cur agricolae, pastores, nautae nostri numquam, poëtae raro parumque apte, veterum imitatione ducti anni tempora ortu occasuve siderum designent, satis habentes, diei tempora solis, lunae, hesperi visu descripsisse, post videamus: hic satis erit monuisse, non solum dissimilem esse et temporis et coeli rationem, sed ipsam superstitionem istam, qua decepti veteres frigus, aestum, tempestates, sudum ex siderum vi pendere opinati sint, magna solis vi recte ponderata, iam circa solam vim lunae cometarumque horribili specie terrentium oberrare.

Singuli autem loci, in quibus Horatius *diei tempora* stellarum visu designat, hi sunt:

Carm. II. 9. v. 13.

„Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum: nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente solem:"

Carm. III. 21, v. 24.

„Cum rediens fugat astra Phoebus:"

Carm. IV. 5, v. 40.

„Cum sol Oceano subest:"

Sat. I. 5, v. 9. 10.

„iam nox inducere terris
Umbras et coelo diffundere signa parabat"

cf. epod. XV. 12.

Quibus in locis nihil offendit, nisi quod Hesperus et surgere dicitur et antegredi solem eodem tempore, quo subsequatur. Primum enim, cum surgant stellae, quae ab orientis solis regione ad circulum meridianum ascendunt: Hesperus, qui *summum quadragenis septenis partibus, quando longissime abest,* a sole distat, occidente sole semper cadere, numquam surgere videbitur, sicuti eadem stella, cum antegreditur solem, semper sursum, numquam deorsum tendens conspicietur. Heyn. quidem ad Virg. Ecl. VIII. 30. ed. Wunderlich:

„tibi deserit Hesperus Oetam"

porrigitur, inquit, Octaeorum montium iugum ab oriente versus occidentem. Itaque in iis, qui illum tractum habitabant, fuere, quibus Hesperi stella, quoties *post solis occasum* in conspectum veniebat, ab Oetaeis montibus *oriri* videri potuit *heliace:"*

sed dupliciter errare videtur V. D.: nam primum, cum *heliace* oriri dicantur stellae, quae *paullo ante solis ortum* oriuntur, *nulla umquam stella post solis occasum heliace oriri potest:* deinde *post solis occasum* Hesperus ne in meridiano quidem circulo apparere potest, sed, etiamsi longissime distet ab sole, inter meridiem tantum et occidentem medio fere spatio, ergo semper occidentem versus conspicietur, nisi forte in profunda et angusta valle, ubi sol paullo ante meridiem oriatur et paullo post meridiem occidat, Hesperum orientem versus conspici posse iusto subtilius argumentaris.

Deinde offendit, quod in illis versibus (Hor. carm. II. 9, v. 11—13.) Hesperus et Lucifer, (his enim nominibus eadem stella appellatur, prout solem aut subsequitur aut antegreditur cf. Cic. Nat. deor. II. 20.) quorum adspectus nisi longo interiecto temporis spatio cogitari non potest, unius eiusdemque diei spatio apparere dicuntur.

Cum igitur desit non solum veritas imaginis, sed etiam, quam poëtae servare debent, veritatis species: parum apte, ut saepe, Mitscherlich. laudibus cumulat imaginis praestantiam hac usus inani verborum turba: „vide et expende virtutem poëtae in exornandis et nobilitandis *„nocte dieque,"* pro quo minus sollemne erat *„mane ac vesperi"* hoc suaviori imagine ac *doctiore modo*: vespero, stella Veneris, surgente, ἀνατελλομένου, oriente, in conspectum veniente sub noctem: eademque stella solem exorientem fugiente, praeeunte, ante solem constituta, primo mane."

Quae utinam tandem aliquando evanescat laudandi ratio.

Multo temperantius laudat imaginem Dillenburger.: at laudat tamen, ubi nulli omnino laudi locum esse facile intelliget.

Ineptius etiam, quam Horatius, Cinna apud Servium ad Georg. IV. 465.

„Te matutinus flentem conspexit Eous
Et flentem vidit *paullo post* Hesperus idem:"

ubi quam inscite et languide Cinna *„paullo post"* dicat, non est, quod ostendam.

Virgil. Georg. IV. 465. sine imagine

„Te dulcis coniux —
Te veniente die, te decedente canebat"

Suavius Sappho Auroram opponit Hespero,

Ἕσπερε, πάντα φέρων, ὅσα φαινόλις ἐσκέδασ᾽ αὔως.

cf. Neue Sapphus fragm. Berol. 1827. 8. p. 78. 79. no. LXVIII.

Multo saepius sideribus utitur Horatius ad designandas anni tempestatisque vicissitudines variis siderum vel ortibus vel occasibus licenter arreptis.

Quaterni autem sunt stellarum et ortus et occasus, quorum de nominibus inter astrologos sic convenit:

Dicuntur stellae

1) *heliace oriri* eo die, quo primo ante solis ortum conspiciuntur orientes: id quod ex doctrina Ptolemaei sub claro Graeciae Italiaeque coelo fieri solet, cum stellae primae classis undenis partibus, secundae quaternis denis, tertiae senis denis, quartae septenis denis quaeque etiam obscuriores sunt, octonis denis partibus occidentem versus a sole distant:

2) *heliace occidere* eo die, quo postremo post solis occasum conspiciuntur occidentes: id quod sub illo coelo fieri solet, cum eodem spatio, quo supra, orientem versus a sole absunt.

Romani saepe, ubi *heliacum* ortum occasumve notare volunt, stellam „mane oriri" aut „vesperi occidere" narrant.

3) *vesperi oriri* dicuntur stellae, nullo addito a Romanis vocabulo artis, eo die, quo post solis occasum *postremo* apparent orientes: id quod, cum radiatio solis in diversa coeli parte collocati non tantum officiat stellarum lumini, sub illo coelo fieri solet in prima stellarum classe, ubi sol septenis partibus, in secunda, ubi octonis vel novenis, in tertia, ubi denis, in quarta, ubi quaternis denis, denique in infimis classibus, ubi septenis denis partibus infra horizontem decessit.

Similiter

4) *mane occidere* dicuntur, pariter omisso artis vocabulo, eo die, quo ante solis ortum *primo* apparent occidentes: id quod eadem conditione fieri solet.

Postremo autem (cf. 3.) oriuntur stellae vesperi in dies singulos altius ascensurae eo die, quo, cum sol spatio modo definito sub horizontem cessit, ex ipso horizonte emergunt, dum postridie pari solis discessu iam paullo elatiores supra horizontem conspiciuntur, pridie sub horizonte latent. Similiter ante solis ortum *primo* apparent occidentes (cf. 4.) stellae, in dies singulos altius descensurae, eo die, quo, dum sol eodem interiecto spatio sub horizonte latet, *primo* in horizonte apparent

obiturae, cum postridie pari solis ascensu iam reconditae sunt, pridie ad horizontem nondum descenderunt.

Facile rem confundi ostendit Gemini, viri subtilissimi, error, qui verba „*primo*" et „*postremo*" inter se commutavit.

Qui quidem ortus occasusque cum soli sub adspectum cadant, a Graecis *φαινόμενοι* vocantur omnes, quique ex iis ante solis ortum fiunt, *προανατολαί* et *προδύσεις*, quique post solis occasum eveniunt, *ἐπανατολαί* et *ἐπικαταδύσεις* appellantur. Aptissime igitur Ptolemaeus adiutus insigni Graecae linguae praestantia, universe omnes *φαινομένας* et singillatim

1) ortum heliacum nominat *προανατολὴν ἑῴαν:*

2) occasum heliacum *ἐπικατάδυσιν ἑσπερίαν:*

3) ortum, quem vespertinum diximus, *ἐπανατολὴν ἑσπερίαν:*

4) occasum, quem matutinum diximus, *πρόδυσιν ἑῴαν.*

Nullos alios aut ortus aut occasus, cum ceteri numquam sub adspectum cadant, nec poëtae nec fastorum, nisi astronomicorum, auctores notare debebant: at illi revera inscii et inviti notaverunt nonnumquam binos alios, cosmicos et acronycticos.

Cosmice autem *oriri* aut *occidere* dicuntur stellae, ubi una cum *oriente* sole, *acronyctice*, ubi una cum *occidente* sole oriuntur aut occidunt.

Sunt igitur *συνανατολαὶ ἀληθιναὶ* aut *ἑῷαι* aut *ἑσπέριαι* et *συγκαταδύσεις ἀληθιναὶ* aut *ἑῷαι* aut *ἑσπέριαι**).

Neglectis igitur veris his et cosmicis et acronycticis siderum ortibus occasibusque, quos qui ad calculos vocare aut sphaera coelesti uti non didicerint, non facile invenient, in binis illis, quos priore loco exhibuimus, diu veteres substiterunt et poëtae et rustici: post speciosa astrologorum arte decepti, cum plus valere arbitrarentur vim siderum aut una cum sole orientium et occidentium aut in diversa coeli parte cum oriente sole obeuntium, cum occidente exeuntium: Kalippo duce in locum eorum ortuum occasuumque, quos Graeci *φαινομένους* appellant, cosmicos et acronycticos sufficere ausi totam rem perturbaverunt. Nam primum rem non ea, qua par erat, mutaverunt constantia: deinde rem oculis obiectam ad solos calculos revocarunt: de-

---

*) Nonnulli ortum, quem *vespertinum* diximus, *acronyctici* nomine, occasum, quem *matutinum* diximus, *cosmici* nomine appellant et vicissim. Romanorum ratio semper vaga et instabilis est.

nique pro re duplici quadruplicem instituerunt rationem ab ingenio pariter atque a sermone populi abhorrentem.

Cf. Gehler, physikalisches Wörterbuch. Neu bearbeitet. Bd. I. p. 516 — 521. Bd. IX. Abth. 2. p. 1566 — 71.,

ubi scripta, quae huc pertineant, appellata invenies.

Eorum autem ortuum occasuumque, quos φαινομένους Graeci appellabant, multo facilior, quam sub nostro coelo erat observatio: nam agricolae, qui ad vitandos solis aestus prima luce ad negotia rustica accedebant et longa meridiatione recreati pervesperi demum redibant domos, facilius stellas solem et antegredientes et subsequentes pariter atque stellas his oppositas observabant adiuti et grata coeli serenitate et praecipuo quodam in aëre puriore stellarum splendore et diluculi crepusculique brevitate. Nec tantum multo facilior, sed etiam multo magis necessaria erat illa observatio. Didicerant quidem Graeci ludorum Olympicorum ratione coacti annum ad solis cursum quodammodo accommodare et, cum rem Solonis, Eudoxi, Metonis, Euctemonis arte sublevati diligentius cognossent, cyclum Metonianum principio Athenienses, tum omnes fere Graeci Macedonesque in usum converterant: post Kalippi attenderant normam, quae cum ad veritatem propius accederet et tempore opportunissimo proposita esset, per omnia regna post mortem Alexandri Magni in Europa et in Asia condita auctoritatem quandam nacta est*) nec subtiliori Hipparchi computationi cessit: sed, cum menses Graecorum priscis temporibus omnino perturbati atque etiam meliore inita ratione lunae vicissitudinibus iam ob stata quaedam sacra accommodati in alia aliis annis tempora inciderent atque in civitatibus aliis alio et ordine et nomine instituti essent: eventa rerum, praecepta medicorum, munia agricolarum nautarumque non minus siderum ortu occasuve, quam solstitio atque aequinoctio definiebantur. Rem luculenter illustrant verba Galeni haec: εἰ πάντες εἶχον τοὺς αὐτοὺς (μῆνας), οὐκ ἂν Ἀρκτούρου καὶ Πλειάδος καὶ Κυνὸς ἰσημεριῶν τε καὶ τροπῶν ἐμνημόνευσεν ὁ Ἱπποκράτης, ἀλλ᾽ ἤρκεσεν ἂν εἰπεῖν αὐτῷ κατὰ Μακεδόνας, εἰ οὕτως ἔτυχεν, ὀνομάζοντι, τοῦ Δίου μηνὸς ἀρχομένου τοιάνδε τινὰ γενέσθαι κατάστασιν ἐν τῇ τοῦ περιέχοντος κράσει. Νυνὶ δ᾽ ἐπειδὴ τὸ Δίον Μακεδόσι μὲν μόνοις σαφὲς, Ἀθηναίοις δὲ καὶ τοῖς

*) Ann. Romani Kalippi normam nihil morabantur.

τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις οὐ σαφὲς, Ἱπποκράτης δ᾽ ἐβούλετο τοὺς ἐξ ἁπάντων τῶν ἐθνῶν ὠφελεῖν· ἄμεινον ἦν αὐτῷ γράψαι μόνην τὴν ἰσημερίαν ἄνευ τοῦ μνημονεῦσαί τινος μηνός· ἡ μὲν γὰρ ἰσημερία κοσμικόν ἐστι πρᾶγμα, οἱ δὲ μῆνες ἐπιχώριοι καθ᾽ ἕκαστον ἔθνος. cf. Galeni Comment. I. in Hippocrat. lib. I. Epidem. Tom. XVII. part. I. p. 19. Kühn. (Basil. V. p. 347).

Similiter Thucydidem eventa rerum notasse constat, velut II. 78. in. περὶ Ἀρκτούρου ἐπιτολάς — VII. 16 ex. περὶ ἡλίου τροπὰς τὰς χειμερινάς — VIII. 39 in. cf. Göller. ad Thuc. II. 19. Pariter Aristoteles in hist. animal. lib. VIII. c. 13. med. delphinorum reditus ex ponto, c. 2 ex. et c. 15 in. et ex. piscatus, c. 14 extr. apum quietes ex Vergiliarum, Arcturi, Sirii visu quodammodo pendere docet.

Quem in usum mos invaluit παραπήγματα primum a Metone conscripta, in quibus et solis cursus et lunae vicissitudines et siderum quorundam ortus occasusque notati erant, in columnis incisa publice proponendi. Ab his Romani mutuari, quam ipsi rationes subducere maluerunt, maiore fere necessitate coacti ad tempora pariter notanda: nam fasti Romanorum cum incerta, quam Numa instituerat, temporum computatione, tum sacerdotum, penes quos erat potestas intercalandi, fallaciis tam perturbati erant, ut „neque messium feriae aestati neque vindemiarum auctumno competerent,“ (Suet. Caes. c. 40 in.) et aequinoctium vernum anni 49 a. C. post Idus Maias expectaretur. (cf. Cic. ep. ad Att. X. 17.) Et quamquam paullo post Caesar Sosigenis arte adiutus in certos definitosque orbes reduxerat anni vicissitudines: tamen nec ille ipse nec rerum rusticarum scriptores omiserunt dies singulos negotiis rusticis idoneos siderum ortibus occasibusque designare. Qua in re Caesar, cum universe calculos ab Hipparcho de quadripartitis anni commutationibus subductos in usum suum Sosigene moderatore satis scite convertisset, nonnumquam ad veteres Aegyptiorum Graecorumve fastos et tempore et coelo a re proposita alienos quasi invitus delabitur, et Columella, ne statum sacrificiorum ordinem confunderet aliosve agricolarum a vetere consuetudine aegre recedentium mores perturbaret, quotiescunque Graeca vidit parapegmata diuturno usu agricolis et notiora et acceptiora, in his acquiescere, quam Caesaris normam sequi maluit: id quod ipse fatetur r. r. lib. IX. c. 14, 12 (ed. Schneider.) his verbis:

„in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis antiquorumque fastos astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis, quia et notior est ista vetus agricolis

concepta opinio nec Hipparchi subtilitas pinguioribus, ut aiunt, rusticorum litteris necessaria est." *) cf. Schneider. ad. h. l. et Ideler „Handbuch der Chronologie."

Nec iniuria, dummodo ipse sibi constitisset: at ille huc illuc fluctuat et modo Caesaris fastos modo graeca parapegmata et inter se dissimilia et Romanorum usu iam depravata, modo suos sequitur errores**), quos postea librariorum saepe vel inscitia vel incuria auxit.

Saepius etiam Ovidius eadem fere, quae postea Columella, vestigia, at maiore temeritate secutus labitur nihil sentiens, quantopere non modo ab aliis, sed ipse a sese discrepet. Primum enim, ubi, quos sequitur, auctores *occidere* perhibent stellam, Ovidius nonnumquam *oriri* narrat et vicissim: deinde ortus et heliacos et cosmicos cum vespertinis, occasus et acronycticos et matutinos cum heliacis miscet: tum duplici errore implicatus, *mane occidere* stellas narrat, quo tempore *vesperi oriuntur,* et *ante solis ortum* (heliace) *oriri,* ubi *post solis occasum* (heliace) occidunt: denique quasi una eademque stella eodem loco iterum ac saepius cosmice, heliace, acronyctice oriri aut occidere possit, eundem stellae ortum occasumque bis terve distantibus inter se diebus adscribit, sive in parapegmatis dissimili et tempori et coelo accommodatis discrepantia inter se invenit tempora, sive non sensit, in aliis alios notari siderum ortus, sive, ubi primi, medii, extremi sideris ortum occasumve notatum legit, omissa subtiliore hac notatione ter totum sidus oriri vel occidere narrat poëtarum iure iusto licentius usus, quasi universum sidus vel per ingens coeli spatium diffusum subito vel exire vel obire possit.

De quibus aliisque Ovidii erroribus separatim scripsit Ideler. cf. Abhandlungen der historisch-philologischen Classe der Königl. Akademie zu Berlin aus den Jahren 1822. 1823. Berlin 1825 p. 137—169.

Manilius autem de ortu siderum suo quodam iure elegantius quam verius scripsit, ita ut de re, quam scriptam invenerit, non ipse intellexerit, abiecta et temporis et coeli cura contexuisse versus videatur. Plinius denique in h. n. lib. XVIII. Cae-

*) Ceterum ex hac Columellae excusatione cognoscitur, Romanos agricolas non tam ipsos stellarum motum observasse, quam in fastis acquiesse eadem socordia, qua nostri temporis agricolae tempestatis vicissitudines ex fastis potius, quam ex observatione coeli divinare solent.

**) Sic mane et cosmice, mane et vesperi, mane et acronyctice, oriri et occidere permutat.

saris expressit fastos*) ignarus errorum et veterum, in quos Caesar inciderit, et novorum, quos interiecti tam longi spatii incuria pepererit.

Quam perturbata fuerit iam Plinii tempore rei ratio, ostendunt verba Plinii h. n. XVIII. 57. „auctores prodidere ea ..... raro ullius sententia cum alio congruente. Minus hoc in reliquis mirum, quos diversi excusaverint tractus. Eorum, qui in eadem regione dissedere, unam discordiam ponemus exempli gratia: occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam huius quoque nomine exstat astrologia) tradidit fieri cum aequinoctium auctumni conficeretur: Thales vigesimo quinto die ab aequinoctio: Anaximander vigesimo nono: Euctemon XLVIII."

En, certi auctores, quos sequamur in interpretandis locis, qui ex variis siderum aut ortibus aut occasibus explicandi sunt. Attamen sequuntur interpretes etiam ii, qui siderum cognitione imbuti sunt, et mira constantia sequuntur et ita, ut errores augeant. Sic nonnumquam mirum in modum crescit error tenebris undique offusis, si primum Graecus quidam parapegmatum auctor aut universe v. c. de ortu sideris perperam quaesivit aut singillatim varios eius sideris ortus confudit: deinde Romanorum fastorum auctor rem male indagatam temere depravat: tum librarii veteres inscite numeros perturbant: denique novi interpretes vel inscitia vel incuria lapsi aut numeros antiquitati accommodatos in nostrum tempus convenire opinantur aut aliis erratis rem multis modis corruptam etiam magis corrumpunt. Quae accidisse omnia, apparebit, ubi de singulis locis, ad quos iam progredimur, quaesiverimus.

Ac primum subsistamus in paucis illis locis, in quibus Horatius aestatis aestum, hiemis frigus introitu solis in sidera quaedam zodiaci designavit, velut in carm. III. 29. v 18. 19.

— — — — furit
— stella vesani Leonis

et in ep. I. 10. v. 15—17.

Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat ..... momenta Leonis
Cum semel accepit solem furibundus acutum.

*) ut ipse et universe fatetur h. n. XVIII. 57. his verbis „nos sequemur observationem Caesaris: maxime haec erit Italiae ratio" et singillatim ad singulas quasdam stellas Caesaris ratione appellata ostendit.

Ad carm. III. 29. v. 19. Orellius:

„XIII. Kal. Aug. sol in Leonem ingreditur. Colum. XI. 2. 51.“

Dillenburger: „leonem sol ingreditur a. d. XIII. Kal. Aug.“ *)

quasi in sempiternum sol eodem die in idem sidus zodiaci ingrediatur: at illa temporum notatio non in Horatii aut Columellae tempora, sed in aetatem Metonis convenit atque etiamsi in aetatem Horatii aut Columellae **) caderet, tamen a nostra aetate, qua sol vicenis senis diebus serius quam Horatii aetate in eadem sidera ingreditur, plane esset aliena. Ergo numquam recte interpretes solem intrare narrant in sidus zodiaci, sed intrasse narrare debent aetate poëtae, quem interpretantur, velut Horatii, vel aetate scriptoris, cuius auctoritate nituntur, velut Columellae. Verum quia sidera ipsa Ecliptices cum notis siderum facile confunduntur, non est, quod in signis zodiaci haereamus: quibus quoties utuntur scriptores, certam quandam stabilemque sequuntur dicendi rationem. Nihilominus in uno loco, in quo de hiberno quodam zodiaci signo, ut supra de aestivo mentio fit, paullisper commoremur, quia ex eo non solum perspicitur, quam laeta pedetentim incrementa ceperint interpretum errores, sed etiam quam diligenti interpretes cura in eiusmodi locis interdum versati sint. Est ille locus in Sat. I. 1. v. 36. 37.

„Quae (formica) simul inversum contristat Aquarius annum,
„Non usquam prorepit.“

Commentator qui dicitur Cruquii ad verba „contristat Aquarius“ addit

„tempestate, pluviis et frigoribus, quae maxima concitantur sole in Aquario constituto decimo quinto Kalend. Februarias, atque in eo est diebus triginta usque ad decimum quintum Kalend. Martias.

Porphyrionis verba Heindorfius sic exhibet „maxime sole in Aquario constituto *tempestates horrendae* et *frigora ingentia* solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII. Kal. Febr., in eo est diebus triginta usque ad XVII. Kal. Martias.“

Iam ut a tempestatibus et frigoribus incipiamus, Porphyrio *tempestates horrendas* et *frigora ingentia* fingit, dum vetus Cruquii interpres tempestate, plu-

---

*) Hos ego interpretes tanquam recentissimos appello, non quod in maiores inciderint errores, quam alii, sed quod eosdem omnium errores constanter referendo quasi praestant.

**) Columellae aetate sol singulorum fere dierum spatio serius, quam Horatii temporibus in eadem signa intrabat.

viis, frigoribus, quae maxima concitentur sole in Aquario constituto, annum dicit contristari. Is igitur non *horrendas* narrat incidere *tempestates*, non *frigora ingentia*, sed *quae sub tam miti Italiae coelo maxima concitari possint ab Aquario*. Qui Columellae fastos consulere voluerint, tempestates non rarius invenient indici ante introitum solis in Aquarium, quam postea, *frigora* autem *ingentia* nullo loco denuntiari: nam *hiemare* quidem dicit a. d. XVI. Kal. Febr. et a. d. V. Kal. Febr., sed addit, pluvium esse diem, ergo *hiemandi* verbo non *ingens* significat frigus: nec *Auster cum grandine*, quae verba ad Kal. Febr. et ad XVI. Kal. Martias, aut „Favonius vel Auster cum grandine et nimbis,“ quae verba ad XIII. et XII. Kal. Martias adscripsit, nec „frigidus dies“ ad IX. Kal. Mart. notatus *ingentia* significare possunt *frigora*. Quae incidisse et in illud tempus incidisse ex uno tantum fastorum loco ad illos dies pertinentium concludi possit: nam Columella ad Idus tantum Febr. addidit „vehementer hiemat:“ sed cum iam a. d. VII. Idus Febr. Favonii spirare et a. d. X. Kal. Mart. hirundines advenire dicantur cum ventis ornithiis sive chelidoniis, qui per triginta dies spirare soleant, nec *ingens* nec diuturnum frigus fuisse *potest*. Nec profecto licebit, in omnes annos extendere, quod praeter consuetudinem singulis quibusdam annis acciderit, veluti anno, quo Plinius narrat (h. n. XVIII. 57) advenas volucres a. d. VI. Kal. Febr. spem veris attulisse, mox saevissima hieme conflictatas. Insuper, quam vim tribuerit Columella hiemandi verbo, ipse docet in fastis, nam ad V. Kal Nov. adscribit

„hiemat cum frigore et gelicidiis:“

neque enim haec verba addidisset, si hiemandi verbo iam inclusa fuisset frigoris et gelicidii notio. Denique quasi ut omnis tollatur dubitatio, quae revera fuerit coeli temperatio, docet Columella r. r. lib. XI. 2. 2. his verbis:

„novi veris principium non sic observare rusticus debet, quemadmodum astrologus, ut expectet certum diem illum, qui veris initium facere dicitur: sed aliquid etiam sumat de parte hiemis, quoniam *consumpta bruma iam intepescit annus permittitque clementior dies opera moliri. Possunt igitur ab Idibus Ianuariis**) *auspicari culturarum officia* . . . .“

---

*) Tribus autem diebus post Idus Ianuarias Columella solem in Aquarium transire narrat.
Similiter Varro r. r. I. c. 35.
„XV. diebus ante et post brumam pleraque agricolarum negotia cessare“ dicit.
Ergo apparet, qua vi Aquarius etiam apud Virgilium in Georg. „frigidus“ nominetur.

cf. r. r. XI. 2. 6—9., ubi docet, quae significet agricolarum munia et quam celeriter levia nocturnaque frigora iam illo tempore anni evanuerint.

Varro autem diem primum veris narrat esse in Aquario, non in prima, sed in vicesima tertia eius parte i. e. ex Varronis computatione a. d. VII. Idus Febr.: nam Varro pariter atque Columella solem in Aquarium transire perhibet a. d. XVII. Kal. Febr. cf. Varro r. r. I. c. 28. in. Nec ille veris initium ex astrologorum rationibus, sed ex agricolarum muneribus metitur: id quod ex ratione operis non minus, quam ex praeceptis intelligitur, quae sequenti capite cum agricolis communicantur.*)

Verae igitur rationes astrologorum, qui ut a medio fere mense Iulio gravissimos aestus, sic a medio fere mense Ianuario maxima frigora incidere docent, victae esse videntur *miti* natura coeli Italici, per hiemem in imbres potius quam in frigora inclinantis. Qui quidem imbres cum efficiant, ut quae per agros diffusa sint grana et germina, pullulent omnia: natura fert, ut molesti sint animalibus, quae granis potissimum et seminibus vivant. Atqui formica horum in numerum animalium non raro apud veteres refertur

cf. Virg. Georg. I. v. 185. 6.

— — „populatque ingentem farris acervum
„Curculio atque inopi metuens formica senectae"

et Aen. IV. 402

— — — „formicae farris acervum
„Cum populant"

et Prudent. in Symmachum I. 1052.

„Nec metuit, ne congestum populetur acervum
„Curculio vel nigra cavis formica recondat."

et quos Kirchnerus ad Hor. Sat. I 1. v. 36. affert ex poëta, qui falso Phocylidis nomine ornari solet, versus suavissimos:

---

*) Cicero ad mollitiem Verris depingendam „Cum ver, inquit, esse coeperat, cuius initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat (ad Syracusas), tum incipere ver arbitrabatur: dabat se labori atque itineribus" cf. Cic. Verr. V. 10. extr.

μύρμηκες, γαίης μυχάτους προλελοιπότες οἴκους,
ἔρχονται βιότοιο κεχρημένοι, ὁππότ᾽ ἄρουραι,
λήϊα κειράμεναι, καρπῶν πλήθουσιν ἀλωάς·
οἱ δ᾽ αὐτοὶ πυροῖο νεοτριβὲς ἄχθος ἔχουσιν
ἢ κριθῶν· αἰεὶ δὲ φέρων φορέοντα διώκει.
ἐκ θέρεος ποτὶ χεῖμα βορὴν σφετέρην ἐπάγοντες,
ἄτρυτοι· φῦλον δ᾽ ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον.

v. 152—158.

Nec solum poëtae, qui vaccam et capellam et ovem ad dapes cervinas, bovem ad assum ovillum, vulpeculam in cumeram frumenti vocant,*) formicam granis potissimum pasci docent, sed etiam scriptores rerum rusticarum, velut Varro r. r. I. 51. 1, ... „ne in rimis eius (areae) grana oblitescant et recipiant aquam et ostia aperiant muribus et formicis. Itaque amurca perfundere solent: ea enim herbarum est inimica et *formicarum* et talparum venenum":

et Columella II. 19 (20) in. „area . . . . permistis paleis cum amurca, quae salem non accepit, extergatur: nam ea res a populatione murium *formicarumque* frumenta defendit."

At quorsum haec omnia? Inania sane essent, si formicae nostrae regionis eundem morem sequerentur. Atqui nostri agricolae non timent omnino aut cavent formicarum populationem nec in areis nec in granariis, non nescii, nihil umquam a formicis in hiemis inopiam coacervari cavisve recondi, sed in usum praesentem investigari fructus, succos, carnes. Alia contra in regionibus calidiori coelo subiectis ratio est formicarum. Hae ubi colligunt, quae in usus futuros seponant, nimirum quid aliud condant, nisi quod in cavis inclusum nullis tempestatis commutationibus conficiatur. In Italia igitur consumptis fructibus, succis, carnibus, quae cum auctumno evanescunt, cum grana potissimum investigarent formicae, erat sane, cur illo anni tempore, quod Horatius significat, non proreperent in agros, ubi ventis excussa et pluviis emollita iam omnia semina tam laete germinarant, ut sarrire iuberentur agricolae cf. Varronis praeceptum, qui r. r. I. 36. in. docet, inter brumam et Favonium (VII. Idus Febr.) de segetibus, si qua sit aqua, deducendam, sin siccitates sint, sarriendum.

---

*) Hor. ep. I. 7. 30. (nisi forte hanc muribus ibi insidiatam esse dicis) cf. Th. Schmid ad h. l. et quem V. D. laudat „Iacobs. im Rheinischen Museum 1827 4. Heft. S. 297—312."

Accedit, quod, cum cessarent negotia rustica usque ad idem illud tempus (cf. Varro I. 35. extr.), rustici, qui non ante Idus Ianuarias in agris versabantur, tum demum, cessare formicarum sedulitatem sentiebant.

Quae loci interpretatio mihi ipsi vehementer displicet: multo aptior videtur ea, quam iam Vossius proposuit ad Virg. Georg. IV. v. 234, qui Aquarium inter hiberna coeli sidera eligi ab Horatio censet, quod illud sidus prae ceteris naturam hiemis Italicae nebulis pluviisque molestae depingat —, et multo elegantior, quam ex ephemeridibus litt. Halensibus haustam comprobant Kirchnerus et Orellius ad Hor. Sat. I. 1. v. 36. Offendit enim viros doctos verborum pompa a satirarum ratione aliena magisque epico carmini consentanea et suspicionem iis movet, verba illa irrisionis caussa repetita esse ex malo aliquo poëta, velut ex M. Furio Bibaculo, qui

„hibernas cana nive conspuit Alpes Hor. Sat. II. 5. 41

et

„defingit Rheni luteum caput“ Hor. Sat. I. 10. 37

Optime sane, si, ut in absurdis his versibus, insulsi quid inesset in versu illo, quod in oculos incurreret: at verba

„simul inversum contristat Aquarius annum“

in epicum certe carmen, ex quo in irrisionem poëtae transcripta esse existimantur, tam apte cadunt, ut non intelligam, cur ea offenderint Horatium: quid quod ne a sermonibus quidem abhorrere videntur, quoniam in fastis ipsis, a luminibus poëtarum sane abhorrentibus, similiter perscripta quotidiani usus diuturnitate omnem pompam exuerant. cf. quae supra attuli verba Galeni, Thucydidis, Aristotelis. Ergo haud scio an viri docti illi ex nostra potius, quam ex veterum consuetudine rem ponderarint. Ceterum veteres, si, quae apud nos invaluit, rationem designandi temporis in qua terra reperissent, in similem facile incidissent errorem. Sicuti enim veteres etiam certis a Caesare fastis propositis in notatione temporum incerta perseverasse videmus tanquam sensibus magis obiecta: sic nos quotidie dierum ordinem a populo denuntiari audimus non certis fastorum numeris, sed incertis ecclesiae sacris vel nominibus insignium virorum, quos ecclesiae auctoritas divinitate quadam elatos singulis diebus adscripsit. Nec profecto, qui ad definiendum anni tempus virorum divinorum, velut Petri, Ioannis, Bartholomaei nominibus utuntur, poëticum splendorem, sed potius tenuissimum sectantur dicendi genus: quod quidem forsitan populis rerum nostrarum plane ignaris sublime videatur. Praeterea quantopere similibus in rebus interpretes inter se discrepent, cognosse iuvabit ex mira Dillenburgeri sententia, quam ad Hor. Sat. I. 7. v. 22—26. propositam invenies „nihil video tumidarum metaphorarum et ridiculae ἀντιθέσεως in imaginibus, quibus usus esse dicitur Persius. Negotiatori, praesertim agricolae, qui magna habebat latifundia, illa cum sole et stellis et Cane comparatio haud dubie facillima fuit.“

Vossii autem interpretationi, quam iidem viri docti ita non reiecerunt, ut coniectura sua amplificare tantum voluerint, nihil obstaret, si veterum opinione Aquarius pariter hiberna sidera regeret atque Sirius aestiva: id quod demonstrari posse diffido.

De die, quo intrarit sol in Aquarium, non quaereremus, si interpretes acquiessent in erroribus vel Columellae vel Scholiastarum. Sed, ut saepe, ita etiam ad hunc locum errores veterum augent. Sic Kirchnerus, qui alias in computandis rationibus Horatianis ingeniose sane elaboravit, Columellae errorem uno die auxit: Heindorfius, qui introitus diem recte transscripsit, in definiendo exitu solis, quem Porphyrionis auctoritate nisus ad XVII. Kal. Martias reiicit, ita labitur, ut in diem incidat, qui, nisi intercalaribus annis, omnino non invenitur in fastis: Orellius utriusque errores ita non disiecit, ut coniunctos propagarit. *Nihil refert*, Columellae notationem melius in Numae quam in Horatii aetatem convenire: acquiescere fas est in vulgari temporum computatione, quam, si modo ullam, Horatius secutus est et secutus esset, etiamsi veram computandi rationem cognosset. Cum enim poëtarum omnino non sit aut subducere rationes aut receptas usu imagines ita mutare, ut nemo intelligat: in aeternum poëtae omnes, quoties veteres imitari lubebit, solis introitu in Aquarium eundem Ianuarii diem designabunt, etiamsi Aquarius temporum decursu gravissimos aestatis ardores verius significaverit. Quae licentia non solum poëtis, sed etiam astrologis concessa est nec tamen ultra zodiaci sidera progredi debet atque in his quoque ita circumscribitur, ut non sideribus ipsis, sed notis, quibus designentur, eadem ab astrologis in perpetuum vis tribuatur.

Deinceps quaerendum erit de iis locis, quibus sidera agricolis pastoribusque fausta infausta commemorantur.

Horatius carm. III. 29. v. 17. et 18. Maecenatem, carm. I. 17. v. 17. Tyndarida invitat ad secessum rusticum: caussam addit in altero

„Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem: iam Procyon furit,“

in altero

„Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus"

Orellius ad h. l. „Cepheus, inquit, VII. Id. Iul., Procyon Idibus Iuliis oritur, quem XI. diebus post sequitur Canicula sive Sirius"

Dillenburger omisso Sirio nihil mutat, nisi quod addit „tribus stellis (Cephei, Procyonis, Leonis) ex Horatiana consuetudine aestas indicatur."

At non erat Horatii propria haec consuetudo, sed communis omnium et poëtarum et scriptorum fastos exhibentium: nec universe aestas, sed aestas gravissima per illa sidera designabatur.

Nec tantum hi, sed multi alii in hoc exemplo apparent interpretum errores. Primum enim, si non *cosmici* aut *acronyctici*, quos poëtae curare non debent, at certe *heliaci* et *vespertini* ortus ratio erat habenda: quam quidem Columella, quem sequuntur viri docti, non neglexit: nam Colum. r. r. XI. 2. 51. „Cepheus, inquit, VII. Id. Iul. *vespere* exoritur," idemque ibidem 52 „Procyon Id. Iul. exoritur *mane*" (i. e. heliace)

Ergo primum viri docti verba Columellae temere transscribendo *vespertinum* Cephei et *heliacum* Procyonis ortum miscuerunt, quasi umquam illae stellae una exoriri possint, quae in diversis fere coeli partibus collocatae sunt. Deinde qui fallere potuit viros doctos, nec eosdem esse mutata coeli plaga nec eosdem manere mutatis temporibus stellarum ortus tantamque saepe siderum non procul a coeli verticibus distantium factam esse commutationem, ut stellae, quae Horatii temporibus exierint et obierint, hodie omnino non exeant aut obeant, et stellae, quae illa aetate numquam sub horizontem Romae vel villae Sabinae decesserint, iam occultentur. Quid si Cephei sidus inter haec sidera referendum esse demonstretur? Atqui nemo, qui vel strictim percurrerit sphaeram coelestem, iam dubitabit, quin Cepheus hodie nec Romae nec in regione villae Sabinae, nedum in Germania exoriatur aut occidat, facileque sibi persuadebit, ne Horatii quidem aetate sidus Romae occidisse. Ergo vehementer errant interpretes, qui mira constantia Cepheum a. d. VII. Idus Iul. oriri narrant. Ceterum hoc sidus per longam annorum seriem in singulos annos propius ad coeli verticem accedet et post 2200 fere annos γ Cephei, depulsa de insigni sede stella, quam nos polarem dicimus (α ursae minoris) inter omnes stellas splendore insignes proxime verticem coeli fulgebit. Tum sane et praecipue, cum per longam annorum seriem cardo

coeli ad medium fere sidus processerit, monstri erit simile, si interpretes eadem, quam adhuc servarunt, constantia docere pergent, Cepheum VII. Id. Iul. exoriri.

Pariter etiamsi Procyon revera Idibus Iuliis et Sirius revera XI. diebus post aetate illa Romae exissent, ut interpretes perhibent: tamen dies isti non in nostrum aut tempus aut coelum convenirent, ut interpretes opinari videntur, cum, nulla addita terrae regione, praesentis temporis forma usi, ut semper, dicant „oritur stella," non, ut debebant „oriebatur" vel potius „tum oriri credebatur."

Atqui iam Ideler l. l. demonstravit, Columellam, cuius auctoritatem sequuntur interpretes, non tam vehementer quidem in Procyone et in Sirio, quam in aliis stellis, at errasse tamen, cum Procyon Horatii aetate Romae non Idibus Iuliis, sed a. d. VIII. Kal. Aug. heliace exortus sit. Ceterum Orellius ingentem Ovidii errorem caute evitavit, qui quasi luculenter ostendere voluerit, nihil omnino se de motu stellarum aut ipsum quaesisse aut ab aliis traditum in usum suum convertere potuisse, in fast. IV. 904. Sirium a. d. VII. Kal. Maias exoriri narrat, ergo, cum Sirius illa aetate revera a. d. IV. Nonas Aug. heliace Romae exoriretur, undecentum dierum spatio a veritate aberravit, postea autem in fast. V. 723 eundem ortum evenire narrat a. d. XI. Kal. Iun., ita ut iam propius accedat ad veritatem, a qua tamen septuaginta duorum spatio dierum abest.*) Melius Orellius, si modo in auctoritate veterum scriptorum acquiescere voluisset, Plinium secutus esset, qui, si non *heliacum*, quem significare voluit, at certe *cosmicum* Sirii ortum recte exhibuit in h. n. XVIII. 68. 2 med., nimirum ut ille fuit non Plinii, sed Caesaris tempore eo, quo Caesar fastos correxit. cf. Idel. l. l.

In eosdem errores, atque Orellius et Dillenb., inciderunt alii interpretes, velut Doeringius et Mitscherl., nisi quod Mitscherl. ortum Cephei cosmicum notat et in Sirio auctoritatem addit Plinii, quem non intellexit.

Ceterum in Sirio non solum gravissimi Ovidii, sed etiam leviores aliorum errores vehementer offendunt. Nullum enim ex veterum opinione

— — — — clarius astrum
Tingitur Oceano coelumve revisit ab undis." Manil. astron. I. 400 1:

*) Coniectura interpretum non tolli, sed minui tantum errorem et in aliam rem transire, iam docuit Ideler. l l.

nullum

— — „terris violentius advenit astrum
Nec gravius cedit“ Manil. I. 387. 8.

cf. Scaliger. ad h. l.:

nullo

— — gaudet maiusve minusve
Agricola et sidus primo speculatur ab ortu:

„nullius stellae ortus heliacus diligentius, nullius prius observitatus!“ ex eo enim iam prisci Aegyptii perpetua fere coeli serenitate adiuti anni spatium satis recte metiebantur. In totum, non modo orbem terrarum, sed mundum incendia Sirius portare credebatur (Manil. V. 28. v. 207—217.) orsus ab illis, ad quorum verticem sol eo ipso tempore, quo Sirius heliace oriebatur, ex summo fastigio descendebat, velut ab Indis, quos

„torret sitientes“ (Virg. Georg. IV 425.)
„uno ceu sint in lumine cuncta“ Manil. V. 217.

Quae superstitio facile nascebatur, quoniam ardores tum, cum sol ex inferiore loco ascenderat ad verticem, non tanti excitari poterant eadem de caussa, qua calores post meridiem acriores sunt, quam ante meridiem. Quam caussam iam Geminus perspexit, qui Sirii ortum heliacum gravissimi ardoris signum, non caussam esse ostendit in libro et doctrina et perspicuitate insigni (εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα), quem iusto diutius iam neglexit aetas.

Longum est narrare, quot poëtae et qua arte Sirii et splendorem et vim depinxerint: Horatius ipse praeter Geminos nullius meminit alius stellae saepius: *meminit* in Satiris, velut in Sat. II. 5. v. 39.

„Persta atque obdura, seu *rubra**) Canicula findit
Infantes statuas“

et in Sat. I. 7. 25:

in epodis, velut I. 27.

„pecusve Calabris ante sidus fervidum

*) Rubro colore arsisse Sirium, multi sunt auctores: nunc illum albo colore, admixto subcaeruleo fulgentem conspicimus.

Lucana mutet pascua:“

in carminibus, velut III. 13. v. 9.

„Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere:“

denique in epistolis, velut I 10, v. 15.

„Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis.“

Restat, ut de sideribus nauticis loquar, faustis infaustis.

Natura rei fert, ut fausta appareant hominibus in aquilonari hemisphaerio navigantibus, quae et tam clare exsplendescant, ut lunae lumine, quo omne „conditur stellarum vulgus,“ non occultentur et tam prope absint a cardine coeli aquilonari, ut nec occidere nec ad humiliores coeli regiones, nebulis saepe obscuratas, delabi possint. Sunt illa

„certa nautis sidera“ Hor. carm. II. 16. v. 3,

quae cum et per totam noctem et in una fere coeli plaga fulgeant, per multa saecula et fuerunt et erunt nautarum duces, velut Cynosura „segnis“ et Helice (clarum Lycaonis astrum)*) et „lucidus Anguis, qui flexu sinuoso sinuatur per

— duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingi“ Manil.

Non semper certa fore haec

„certa nautis sidera“

iam monui: verumtamen quam nunc nautae suspiciunt, stella polaris honorem non solum per longa tempora servabit, sed etiam, quia propius in singulos annos accedet ad coeli cardinem, per tria proxima saecula amplificabit: at tandem aliquando cedet primum Cephei stellae γ, deinde stellae α eiusdem sideris, cuius in locum sufficietur α Cygni et deinceps α Lyrae post ingentem annorum seriem. Posthac per multa millia annorum Draconis stellae splendore insignes ex ordine principatum obtinebunt, quem habebant, priusquam

*) Phoenices ex Cynosura cf. Lucan. III. 219. Manil. I. 301, Graeci ex Helice cursum navium moderabantur cf. Ovid. fast. III. 107.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis: Helicen Graia carina notet.

Qua in re, qui erat Argonautarum aetate coeli status, Phoenices stellas stabiliores, Graeci lucidiores praeferebant.

„— — fragilem truci
Commisit pelago ratem
Audax omnia perpeti
Gens humana.“ Hor. carm. I. 3.

Tum simul ad lucidiores Helices stellas, a quibus iam per multa annorum millia secessit, propius admotus erit coeli cardo. Qui omnes cognoscere voluerint stellas deinceps ad insignem illam sedem progressuras, facillimam rationem invenient in Gehleri lexico.

In ceteris stellis illae praecipue faustae erunt, quae quamquam non in una coeli plaga persistunt, tamen non ita magnum perambulant orbem atque per longas hiemis noctes numquam nisi nubibus occultatae praeclaro splendent lumine. Dum igitur *agricolae* prima luce rus exeuntes et pervesperi domum redeuntes ortus praecipue et occasus spectant siderum: *nautae* quidem non negligunt hos ortus occasusve, siquidem ex illis navigationis tempora metiuntur: at praecipue suspiciunt sidera, quae per longas hiemis noctes insigni lumine fulgeant. Quibus virtutibus praediti sunt Castor et Pollux: qui cum Argonautarum, quae fertur, aetate ad eandem fere altitudinem coeli ascendissent, ad quam nunc descenderunt, satis elati erant supra horizontem Graecum. Atqui illa aetate, cum sol circiter a. d. VII. Idus Maias in sidus Geminorum intraret et usque ad VI. Idus Iunias in eo persisteret: mense Novembri, quo navigatio periculosissima erat, sidus per totam noctem fulgens satis certum nautis erat praesidium *eoque certius, quo propius nautae aberant a circulo tropico*: nam et ipsum sidus eo clarius fulgebat et sidera cardini coeli circumfusa, quae tanquam certa a nautis suspiciebantur, eo longius a vertice nautarum decedebant, quo propius illi meridiem versus accedebant ad circulum Geminorum. Contra ubi septentriones versus cursum dirigebant nautae, non tam claro quidem lumine Geminorum utebantur, sed diutius mense Novembri Castorem et Pollucem supra horizontem elatos conspiciebant. Ad Argonautarum autem tempora regredior, non quod ab iis hic honos sideri tributus esse videatur, sed ut ad navigationis Graecae principia redeam. Horatii aetate altiorem Castor et Pollux ascenderant coeli locum, quam Argonautarum aetate. Denique quod, ubi non utraque simul, sed alteroutra tantum stella appareat, Gemini quasi irasci nautis existimantur: id non perturbat nec debilitat rationes, quae salutarem vim lucidis illis stellis vindicant. Nam ut omittam, quam facile verae rei rationi, temporum decursu ut fieri solet obscuratae, adhaerescat aliqua superstitio, — facile intel-

ligetur, quoties vagae volucresque nubes sidera modo petant modo fugiant atque ita praetervolent, ut raro tantum singulae stellae pelluceant, undas plerumque nondum subsedisse.

Horatius non certis illis sideribus, quae circa cardinem coeli fixa volvuntur, committit navem, quae Virgilium

„animae dimidium suae
— — finibus Atticis
Reddat incolumem,“ carm. I. 3. v. 2,

sed fratribus Helenae, lucidis sideribus: quorum

„simul alba nautis
stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti fugiuntque nubes
Et minax, *quod**) sic voluere, ponto
Unda recumbit:“

Nam certa quidem illa sidera „rates instabiles“ ducunt „per mare fallax:“ at

„Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates“ carm. IV. 8. v. 31.

cf. carm. III. 29. v. 64.

Ad carm. I. 3. v. 2.

„Sic te diva potens Cypri
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
(regant)

Orellius intelligi mavult „flammulas electricas, post nimbos ac procellas in summis navium malis elucescentes.“

Cui sententiae obstare videtur primum, quod addit Horatius „lucida sidera:“ deinde quod fratres Helenae *regere navem* dicuntur: denique quod aptius iis, qui iam in mediis procellis versantur, quam iis, qui modo navem conscendunt tranquillo mari, flammulae illae expetuntur. Dillenburg. ad carm. I. 3. v. 2. ex Plin. h. n. II. 37. affert verba

*) cf. Orellium ad h. l.

„Castorum stellas, cum simul videntur, salutares credunt, cum solitariae, graves et noxias.“

At Plinius illo loco de flammulis electricis narrat his verbis „antennis navigantium aliisque navium partibus ceu vocali quodam sono insistunt, ut volucres sedem ex sede mutantes: *graves*, cum solitariae venere mergentesque navigia: . . . . . . geminae autem salutares et prosperi cursus praenuntiae.“

Ad carm. I. **12.** v. **28.** Dillenburg. revocat hanc Plinii narrationem, rei haudquaquam consentaneam: Orellius

„quorum splendens, inquit, dum oritur sidus, tempestates sedat.“

At non, dum oritur, sed *simul refulsit* alba stella, densis inter procellas obtecta nubibus.

Denique, cum non ex ortu aut occasu vis sideris pendere crederetur, de tempore non disceptamus cum interpretibus: satis habemus monuisse, tempus olim fuisse, quo Geminorum sidus circa aequinoctii verni locum fuerit diffusum similemque coeli statum aliquando esse rediturum. Cum autem sidera aequinoctialia ob procellas et veris et auctumni inter infelicissima referantur: profecto lucida haec sidera nec fuerunt illis nec erunt his temporibus amica navigantibus. Quid quod post ingentem annorum seriem infimum tenebunt Gemini inter signa Ecliptica locum, ita ut nautis circa remotissimas terrae aquilonaris partes navigantibus, etiam ad summum, quod tum ascendere poterunt, fastigium evecti, vix sub adspectum cadant.

Iam, cum nulla alia Horatius commemoret sidera nautis amica, ad inimica sidera transeo ac primum quidem ad „Pleïadum chorum“ procellosarum, carm. IV. **14.** v. **21. 22.**, deinde ad „tristes Hyadas“ carm. I. 3. **14.**

Ad carm. IV. **14.** v. **21. 22.**

„Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes.“

Dillenburger „Pleïades, inquit, Atlantis septem filiae inter stellas relatae, latine Vergiliae. Exoriuntur a. d. VI. Octbr., celantur a. d. VIII. Id. April.“

Affert, quae supervacanea, omittit, quae necessaria videantur, id quod infra demonstrabo.

Aptius

Aptius Orellius ex Columella:

„quando Vergiliae vel exoriuntur VI. Id. Octobr, ubi Favonius et interdum Africus cum pluvia (Colum. XI. **2. 74.**), vel celantur VIII. Id. April., in sequens triduum Austri et Africi tempestatem significantes (Id. ibid. **34.**)“

Ad haec ego primum, cur Vergiliarum ortum occasumque notet V. D, Hyadum (ad carm. I. 3. v. **14.**) omittat: deinde, quem tandem Vergiliarum ortum significet. Columella illo ipso loco, quem affert Orellius, *vespertinum* Vergiliarum ortum non tantum intelligi vult, sed ipsis verbis significat, nam

„Vergiliae, inquit, VI. Id. Octobr. exoriuntur *vespere.*“ Quod verbum cur omiserit V. D., non video, praesertim cum Columella locis aliis alios Vergiliarum ortus notet, velut r. r. XI. **2. 36**:

„X. Kal. Maias Vergiliae *cum sole oriuntur* (i. e. cosmice): Africus vel Auster, dies humidus“ et r. r. XI. **2. 39**:

„Nonis Maiis Vergiliae *exoriuntur mane* (i. e. heliace): Favonius“

„VI. Idus *Vergiliae totae apparent:* Favonius aut Corus, interdum etiam pluviae“

Praeterea V. D temere fidem habuit Columellae vel potius Caesari, ex cuius fastis hoc loco Columella diem constituit: nam illis temporibus Vergiliae non a. d. VI. Idus Octobr., sed quinis denis diebus ante oriebantur *vesperi.* Deinde celari dicit V. D., Columellae auctoritate nisus, Vergilias VIII. Id. April.: id quidem satis recte, nam revera a. d. VI. Idus Apriles celabantur: at celabantur *vesperi* (i. e. h. l. heliace), ut recte Columella addidit. Verbum autem *„vesperi“* diligentissime notandum fuisse, docet exemplum Ovidii: qui cum in fastis vel Graecis vel Romanis *vespertinum* Vergiliarum occasum notatum invenisset, verbum illud non solum neglexit, sed etiam mutavit in *„mane:“* quo factum est, ut fast. IV. **165.** rem descripserit septenis demum mensibus post evenire solitam. Quo errore eo magis offendimur, quod Vergiliae non solum notissimae erant, sed etiam diligentissime observabantur ad praecipuas quasdam anni partes recte definiendas. cf. Ideler. l. l. p. **151**—**3.** Quod nisi alia exempla multa ostenderent poëtae et inscitiam et incuriam, facile crederemus, poëtam, si ad omnes menses fastos extendisset, turpem istam labem fuisse aboliturum.

Insuper alia caussa est, cur verbum *„vesperi“* non debuerit omitti. Nam idem Columella XI. 2 **84** „VI. Idus Nov., inquit, Vergiliae *mane* occidunt: significat tempestatem, hiemat“ et paullo ante XI. 2. 78 „V. Kal. Nov. Vergiliae occidunt: hiemat

4

cum frigore et gelicidiis:" utrumque satis recte, nam hoc loco *cosmicum* significat sideris occasum; quem quidem Orellius recte omisit: at, quem priore loco notat Columella, *occasum matutinum*, cum ex eo et Graeci et Romani neglectis astrologorum rationibus praecipuam quandam anni divisionem metirentur, praecipua potius V. D. nota aliqua insignire, quam praetermittere debuit. Sicuti enim, ubi *mane* i. e. heliace *oriebantur* Vergiliae serenae aestatis initium tutamque navigationem, ita, ubi *mane occidebant*, procellosae hiemis initium periculosamque navigationem ostendere existimabantur. cf. Ideler. l. l.

Mitscherlich. ad carm. IV. **14**. v. **21**. **22** „cum ortus, inquit, Pleïadum, qui X. Kal. Maias incipit, laetiorem coeli faciem reducat ac mare iterum aperiat: nihil sane ad declarandas res hostium penitus concisas aptius austri imagine excogitari poterat, sub illud tempus in fluctus debacchantis rebellandi animo plane abiecto"
(quo loco „debacchantis" interpretari videtur „furere desinentis")

At primum V. D., qui locos ex aliis scriptoribus diligentissime colligere solet ad sententias suas comprobandas, hoc loco non ostendit, „scindere nubes" apud alios quoque scriptores idem esse quod „oriri:" deinde quem constituit ex Columella ortus diem, temere constituit: nam Columella, ut aperte dicit, illo loco notat ortum sideris *cosmicum*, qui sub adspectum cadere non potest. Si igitur Vergiliarum ortum ex Columella definire voluit, *heliacum* ortum, quem Columella XI. **2**. **39** in Nonas Maias et paullo post XI. **2**. **40**. verius in VI. Idus Maias incidere narrat, notare debuit; quem diem vel potius proxime antecedentem Caesar in fastis suis tanquam initium aestatis designaverat. Errasse et Caesarem et Columellam, iam docuit Ideler. l. l., ex cuius rationibus Vergiliae tum a. d. V. Kal. Iunias Romae *heliace* oriebantur.

Denique iusto subtilius V. D. imaginis veritatem videtur demonstrasse: nam, quamvis ingeniose detorqueat verba, haud facile cuiquam persuaserit, illum ipsum sideris ortum, quo conspecto nautae naves deducere et in altum laeti vela dare consuerint, aptum esse ad depingendum furorem austri debacchantis perdomitum. Tiberius enim illo loco non tanquam gratae pacis auctor, sed tanquam invictus imperator et inexorabilis seditionis vindex comparatur cum austro, qui indomitas maris undas exerceat. Quid quod Columella illi ipsi diei, quem Mitscherl. falso elegit, Africum vel Austrum adscribit. Quamquam si quis numerare voluerit, quot diebus Columella Austrum vel Africum tempestatesque adscripserit, haud ita parvum conficiet numerum.

Cur „tristes" Hyadas vocarit poëta, docet Orellius ad carm. I. **3**. v. **14** his verbis:
„ortu et occasu suo tempestates excitare creditae"

At quo ortu? quo occasu? Verone? Fieri non potest: nam Horatii aetate Hyades Romae cum sole oriebantur et occidebant priore parte mensis Maii. An heliaco? At ortus heliacus incidebat in mensis Iunii initium, occasus heliacus in Aprilem exeuntem. An ortu acronyctico et occasu cosmico, qui in procellosam tempestatem incidebant? At illi sub adspectum cadere non possunt. Ergo nullus relinquitur nisi occasus matutinus et ortus vespertinus, qui tempestates afferre credebantur: quibus, si placet, addere possumus occasum heliacum: nam Colum. r. r. XI. **2**. **36** hoc occasu pluviam significari narrat, et Plinius h. n. XVIII. **66**. in. notato eodem occasu addit „sidus vehemens et terra marique turbidum"

„Ceterum, quos in errores inciderint Caesar et Columella et praecipue Ovidius, legisse iuvabit in commentatione Ideleri saepe laudata p. **153**—**5**.

Sed iam satis superque ostendimus, quam laete provenerint errorum semina. Non mirum profecto, quod Graeci nonnumquam Chaldaeorum et Aegyptiorum, Romani non raro Graecorum, Scholiastae illorum omnium errores acceperunt, propagarunt, auxerunt: at mirum, quod interpretes nostrae aetatis et ingenii acumine et doctrinae copia et diligentiae fama insignes ita ipsi a se desciverunt, ut vel ingentes veterum labes, magnam partem iam notatas, non solum pie coluerint, sed plerumque etiam nova aliqua labe dedecorarint.

Annot.
ad p. 5.

Ad Marcellum, Octaviae filium, recte referri versus 45 et 46 negat Orellius, rationibus haudquaquam inanibus commotus: at cur nihilominus carmen anno 23 a. C. adscripserit, non video, cum interpretes nulla alia de caussa in illum annum inciderint, nisi quod per aetatem huius Marcelli vix alius annus relictus erat.

Frank. in fastis Horatianis in Marcello adolescente subsistendum ratus miratur, quod Horatius „de Parthis, Seribus, Indis subiectis inania verba fundere maluerit, quam iusta principem laude ornare ob res in Hispania prosperrime gestas."

At primum quaestio illa, „cur Horatius rerum quarundam nullam fecerit mentionem," sane ultro saepe occurrit: at non raro nec repelli nec dissolvi potest. Sic hoc ipso in carmine, ut recte monuit Orellius, oboritur quaestio, cur Fabios, Decios, Scipiones, alios et praecipue, cur gentem Claudiam omiserit, quam in Liviae Neronumque gratiam postea tantis laudibus effert cf. carm. IV. 4 et 14 et Orell. ad carm. I. 12. 37. Verumtamen eiusmodi argumentationem non raro necessariam esse, lubenter confiteor. Deinde ipse vidit V. D., Horatium non de subiectis Parthis, Seribus, Indis (subiecti enim *Orientis orae* dicuntur Seres) temere loqui, sed de subiiciendis his populis laeta augurari, et facile meminerit, Cantabros et Augusti ipsius maximis contentionibus illusisse (cf. Dio Cass. LIII. 25 extr.) et ne a legatis quidem Augusti ita esse domitos, ut non novos sumpserint spiritus cf. Dio Cass. LIII. 29: tum cum non ignoret V. D., nullas omnino res ab Augusto gestas hoc in carmine commemorari, cur poscit, ut victoriae Cantabricae mentio fiat: denique ex Dione Cassio LIII. 28 in. facile perspiciet, Augustum anno 25 a. C. (quo anno Frank. carmen scriptum esse statuit) ex Hispania per valetudinem redire nondum potuisse. Omisso

igitur hoc anno ad annum 23 a. C. redeamus, quo Phraates per legatos, Tiridates ipse praesens controversias suas Augusto permiserunt dirimendas. At magnam illius anni partem, ni me fefellit temporum computatio, Augustus ipse gravissimo morbo laborabat: ex quo cum insigni Antonii Musae arte sublevatus praeter suam populique exspectationem convaluisset, Marcellus immatura morte abreptus est cf. Dio Cass. LIII. 30. Mirum sane, si Horatius carmine inter haec gravissima tempora scripto ingentis illius periculi non meminisset. Id igitur probabile esse videtur, carmen scriptum esse, antequam Augustus in vehementissimum illum morbum inciderit. Ergo quo mense correptus sit morbo, quaerendum videbitur iis, qui in illo anno perstare maluerint. Cum igitur ad initium certe anni reiiciamur, nova exsistit quaestio, cur Horatius immemor miserrimae illius cladis, qua expeditio ab Aelio Gallo anno 24 a. C. in Arabiam felicem suscepta (cf. Dio Cass. LIII. 29) paullo ante disturbata erat, tam laeta vaticinari potuerit. Quapropter, ut Dillenburg., sic ego iis, qui Marcelli, egregii illius adolescentis, famam versibus illis celebratam esse statuant, ex duobus annis, quos Lepsius proposuerit, eligendum esse arbitror annum 24 a. C. eamque anni partem, qua nulladum Romam pervenerit cladis fama. Nam primum illo ipso anno et Augusti potentia a civibus ita dilatata erat, ut nullis amplius legibus cohiberetur, et Marcelli dignitas a senatu mirum in modum erat amplificata. cf. Dio Cass. LIII. 28.: deinde verisimile est, Parthorum controversias, sequenti anno quodammodo diremptas, iam tum Augusti arbitrio permissas fuisse: nam, quamquam Iustinus temere narrat, confugisse Tiridatem ad Caesarem tum in Hispania bellum gerentem (cf. Lachmanni epist. ad Frank. missam in Frank. fastis Horatianis p. 239.), tamen vix credibile est, ab anno 30 a. C., quo anno, ut Dio Cass. LI. 18 testatur, rerum Parthicarum quasi arbitrium suscepit Octavianus, cessasse umquam aut preces aut minas Phraatis, qui haudquaquam aequo animo aut Tiridatem sub potentissimo Octaviani patrocinio sibi imminere aut filium suum, a Tiridatē Caesari traditum, Romae obsidis instar (cf. Dio Cass. LI. 18 extr. contra Iust. XLII. 5. 5) haberi concesserit: denique, id quod viri docti illi ipsi narrant, certum est, ingentem expeditione Aelii Galli excitatam esse spem, fore ut non solum Arabes, sed deinceps etiam Seres et Eoae partes omnes subiicerentur: cf. carm. I. 29, ubi Iccius acrem militiam parare dicitur non ante devictis *Sabaeae* regibus horribilique *Medo (Parthis)* nectere catenas et praeter beatas Arabum gazas pocillatorem sibi exoptare

„doctum sagittas tendere *Sericas*

„Arcu *paterno*“

Apparet autem non solum ex hoc carmine, sed etiam ex carmine III. **24** in.

„Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae“

atque ex epist. I. 6 v. **6**.

„Quid maris (munera) extremos Arabas ditantis et Indos,“

quam facile Horatius Arabes et Parthos cum Indis Seribusque cogitatione coniunxerit. Praeterea eo tempore, quo Aelius Gallus expeditionem in Arabiam pararit, obversatas esse non solum Horatii, sed universe Romanorum animis beatas Arabum, Indorum, Serum gazas quasi uno impetu expugnandas, ostendit narratio Strabonis, quam Th. Schmid apte affert ad Hor. ep. I. **1**. **45**. cf. Strabo ed. Siebenkees lib. II. p. **313**. Denique quid vetamus poëtam melius de Augusto sperare, quam Antonius ipse de se speravit. cf. Dio Cass. XLIX. **41**. med.

Jahresbericht

verfaßt

von

dem inter. Rector Prof. **Dr. Herold**.

I. Lehrverfassung.

A. Oeffentliche Vorträge von Ostern 1843—44.

Prima.

(Ordinarius Dr. Anton.)

I. Sprachen.

Lateinisch. Aus Tacitus Annalen: die Kriege des Germanicus in Deutschland; Horaz Episteln lib. I.; Disputir-Uebungen nach Entwürfen, freie Vorträge der Schüler über Tacitus, freie Ausarbeitungen, Nachahmungen des Livius und Extemporalia über höhere Grammatik und gewählteren Ausdruck; zusammen 8 Stunden. Anton.

Griechisch. Hom. Il. I — V. und XVIII — XX, bald statarisch, bald cursorisch, III. IV. VI. (Ausgewählte Abschnitte); Grammatik; mündliche und schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen und Lateinischen ins Griechische. 6 St. Sickel.

Deutsch. Correctur der Abhandlungen, Gedichte und Dispositionen. Mannichfache Uebungen im freien Vortrage, Definiren und Disponiren. Geschichte der deutschen National-Litteratur (neuere Zeit). Repetition der Stilistik, Metrik und allgemeinen Grammatik; Vorträge der Schüler über einzelne Abschnitte derselben, besonders über die allgemeine Sprachlehre. 2 St. Schmiedt.

Französisch. Correctur der grammat. und stilistischen Extemporalia und Scripta. Lectüre aus Ideler und Nolte, Theil III. p. 532. bis zu Ende, und vom Anfang bis pag. 96. 2 St. Schmiedt.

Hebräisch. 1 Buch der Könige, Cap. 1—15. Ausgewählte Psalmen. Erläuterung der Syntax. (Gesen.) Wiederholung der Formenlehre. Extemporalia und andere schriftliche Uebungen. 2 St. Herold.

II. Wissenschaften.

Religionslehre. Die christliche Sittenlehre. Ausgewählte Abschnitte aus dem N. T. wurden in der Grundsprache gelesen, Bibelsprüche wöchentlich gelernt. 2 St. Herold.

Mathematik. Im Sommer: die unbestimmten Gleichungen; im Winter: ebene Trigonometrie. 3 St. Anton.

Physik. Im Sommer: Hydrostatik, Aërostatik; freie Vorträge der Schüler über astronomische Gegenstände; im Winter: Lehre von der Wärme. 2 St. Anton.

Geschichte. Geschichte des Mittelalters. Wiederholung der griechischen Geschichte. 2 St. Sickel.

Philosophische Propädeutik. Im Sommer: Logik, im Winter: Psychologie. 2 St. Schmiedt.

Secunda.

(Ordinarius Tertius Leidenroth.)

I. Sprachen.

Lateinisch. Virgil Aen. lib. IV — IX. 4 St. Keßler. Livius XXI, XXII — 40 Cap. Extemporalia, freie Aufsätze, lat. mündliche Erzählungen; Prüfung über die Privatlectüre. 6 St. Leidenroth.

Griechisch. Ilias III — VI. 2 St. Keßler. Herodot lib. VII. Xenophon Hellenica lib. II. und III. Extemporalia über Regeln der Syntax nach Rost's Grammatik. Examen über die Privatlectüre. 4 St. Leidenroth.

Deutsch. Declamationsübungen; freie Vorträge; Correctur der poetischen und prosaischen Arbeiten. Ueber Stilistik. 2 St. Leidenroth.

Französisch. Correctur der Extemporalia. Repetition der Formenlehre. Lectüre aus Ideler und Nolte Theil I. (Thomas. Fréderic II. Rousseau et Voltaire). 2 St. Schmiedt.

Hebräisch. Lesen, Formenlehre und Lectüre der ersten 6 Abschnitte aus Gesen. Lesebuch. 2 St. Schmiedt.

II. Wissenschaften.

Religionslehre. Geschichte der christlichen Religion; die Reformationsgeschichte ausführlicher. Symbolik. Bibelsprüche wurden wöchentlich memorirt. 2 St. Herold.

Mathematik. Im Sommer: Gleichungen des ersten und zweiten Grades; im Winter: Kreislehre. 3 St. Anton.

Physik. Mit Prima combinirt.

Geographie und Geschichte. Geographie von Europa, Amerika und Australien. Alte Geschichte nach Schmidt's Grundriß, von der Schlacht bei Chaeronea bis zum Schluß der römischen Geschichte. Alte Geographie der betreffenden Länder. 3 St. Urtel.

Tertia.

(Ordinarius Collaborator Dr. Sickel.)

I. Sprachen.

Lateinisch. Caesar b. c. I. II. und b. g. I. II. Grammatik; mündliche und schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische, Memorirübungen. 8 St. Sickel. Ausgewählte Abschnitte aus Ovid's Metamorphosen. 2 St. Leidenroth.

Griechisch. Xenophon Anab. l. IV. V. Homer. Od. l. I. 4 St. Leidenroth. Grammatik; mündliche und schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Griechische. 2 St. Sickel.

Deutsch. Correctur der Arbeiten. Ueber die deutsche Deklination und Konjugation. Uebungen im Erzählen und Deklamiren. Erklärung von Gedichten. 2 St. Schmiedt.

Französisch. Guillaume Tell II. und III. (zur Hälfte); Uebersetzungen der deutschen Aufgaben in Hirzel's Grammatik. 2 St. Keßler.

II. Wissenschaften.

Religionslehre. Das Wesentlichste aus der christlichen Glaubenslehre; das Leben Jesu. Bibelkunde. Bibelsprüche. Vom Kirchenjahr. 2 St. Herold.

Mathematik. Im Sommer: Planimetrie; im Winter: Arithmetik bis zu den Proportionen und den auf sie gegründeten Rechnungen des gemeinen Lebens. 4 St. Schmiedt.

Geographie und Geschichte. Geographie von Europa, außer Deutschland, nach Selten. Alte Geschichte. 3 St. Urtel.

Quarta.

(Ordinarius Collaborator Urtel.)

I. Sprachen.

Lateinisch. Lectüre: Cornel und Abschnitte aus Gedicke's Chrestomathie. Rückübersetzungen. Exercitien mit Berücksichtigung der Lectüre des Cornel. 5 St. Urtel.

Grammatik. Mündliche und schriftliche Uebungen in Anwendung der syntakt. Regeln. Memorirübungen. 4 St. Herold.

Griechisch. Jacobs 2. Cursus: Mythologische Notizen und mythologische Erzählungen. 2 St. Keßler.

Grammatik. Formenlehre mit Ausschluß der unregelmäßigen Verba; Extemporalia und Exercitia. 5 St. Urtel.

Deutsch. Schriftliche Erzählungen, Beschreibungen, Briefe. Uebungen im Declamiren und Erzählen. 2 St. Keßler.

Französisch. Combinirt mit Tertia.

II. Wissenschaften. Combinirt mit Tertia.

Unterricht im Gesange wurde theils dem ganzen Cötus, theils den Mitgliedern des Chors in 2 wöchentlichen Stunden ertheilt von dem Cantor Hellmund. Derselbe leitete auch die kalligraphischen Uebungen der 3. und 4. Klasse. Im Zeichnen wurden während des Sommersemesters diejenigen Schüler, welche es wünschten, von dem Herrn Pastor Wetzel zu Donndorf unterrichtet, jede Abtheilung wöchentlich zwei Mal.

B. Das Privat-Studium.

Die Primaner lasen privatim: Terenz, Virgil Georg., Tibull, Livius, Cicero, am allgemeinsten und fleißigsten Horaz und Tacitus. Im Griechischen: Homer, Sophocles. Im Hebräischen: das Buch Josua und das 2. Buch der Könige.

Die Secundaner: Cicero (besonders Reden, Lael. Cato m.), Livius, Virgil. Im Griechischen: Xenophon, Homer. Im Französischen: Abschnitte aus Ideler und Nolte, Numa Pompilius, Guillaume Tell, Charles XII. etc. Im Hebräischen: Aus Gesen. Lesebuche bis zu den Psalmen inclus.

Die Tertianer: Caesar, Ovid; im Griechischen: Homer. Im Französischen: Guill. Tell, Numa Pompilius und einiges Andere.

Die Schüler der 3. und 4. Klasse sind auch in dem verflossenen Schuljahre von den Primanern und Secundanern in vier wöchentlichen Stunden im Latein. und Griech. unterwiesen und geübt worden.

II. Verordnungen der vorgesetzten hohen Behörde.

Vom 23. März 1843. Mittheilung eines Rescripts des Herrn Geheimen Staats-Ministers Eichhorn Excellenz vom 8. März 1843, worin auf die bei dem deutschen Unterrichte zu vermeidenden Mißgriffe aufmerksam gemacht wird.

Vom 11. April 1843. Abermalige Empfehlung der Rudthardt'schen Methode, die classischen Sprachen zu lehren, und nähere Bestimmungen über die Anwendung derselben.

Vom 26. Juni 1843. Es wird daran erinnert, daß neue Lehrbücher nur mit Genehmigung der vorgesetzten Behörde eingeführt werden dürfen.

Vom 22. Juli 1843. Mittheilung einer Verordnung des Herrn Geheimen Staats-Ministers Eichhorn Excellenz, die am 5. August wegen 1000jährigen Bestehens des deutschen Reichs zu veranstaltende Schulfeier betreffend.

Vom 25. Septbr. 1843. Auf das von dem Gymnasiallehrer Dr. Schipper herausgegebene Werk „französisches Lesebuch nebst einem Memorirstoff zu einer neuen von den Behörden empfohlenen Memorir-Methode“ wird aufmersam gemacht.

Vom 4. Novbr. 1843. Desgleichen auf das von dem Professor Dr. Panofka zu Berlin herausgegebene Werk: „Bilder antiken Lebens.“

Vom 10. Novbr. 1843. Die Einführung regelmäßiger Zusammenkünfte der Lehrer für gemeinsame wissenschaftliche Beschäftigung wird empfohlen.

Vom 14. Novbr. 1843. Aufforderung, im nächsten Jahresberichte über den Erfolg der Lesestunden der Obern mit den Untern ausführlich zu berichten.

Vom 14. Novbr. 1843. Mittheilung eines Exemplars des von dem Rector und Professor Dr. Reuter zu Straubing „über den Gang und Zweck der Rudthardt'schen Methode“ verfaßten Aufsatzes.

Vom 2. März 1844. Der Lectionsplan auf das nächste Sommersemester wird genehmigt.

III. Chronik der Klosterschule.

Wir sind hoch erfreut, melden zu können, daß der Herr Geheime Regierungsrath H. E. von Witzleben, Ritter des St. Johanniter-Ordens und des rothen Adlerordens 4. Klasse, zu Berlin, welcher seit dem Ableben seines unvergeßlichen Vaters die Administration der Klosterschule interimistisch geführt hat, nunmehr als Erb-Administrator definitiv bestätigt worden ist, ein Ereigniß, welches für das fernere Gedeihen der Anstalt unter allen Gliedern derselben die frohesten und zuversichtlichsten Hoffnungen erweckt. Zugleich wird es endlich möglich werden, der interimistischen Verwaltung des Rectorats mit dem Schlusse des laufenden Semesters ein Ziel zu setzen. Der Berichterstatter, welcher vor sieben Jahren, als der Jubilar Professor Dr. Wilhelm *), Ritter 2c., in Ruhestand trat, die Rectoratsgeschäfte zu übernehmen sich bereit finden ließ, konnte weder damals sich entschließen, auf sein Predigtamt zu verzichten, noch der später mehrmals wiederholten Aufforderung zum definitiven Eintritt in das Rectorat Folge leisten, mußte vielmehr, sowohl um seinet- als um der Anstalt willen, wiederholt dringend bitten, von der Verwaltung desselben entbunden zu werden, und fühlt sich den höhern Behörden für die Gewährung dieser Bitte zum wärmsten Danke verpflichtet. Ueber die Art der Wiederbesetzung der gedachten Stelle, wie über die sonst noch bevorstehenden Veränderungen im Lehrercollegium,

---

*) Der noch immer rüstige Jubelgreis tritt im Laufe dieses Monats, am 29. März, das 82. Lebensjahr an.

wird zu seiner Zeit das Nähere berichtet werden. Leider wird der Collaborator Urtel, welcher zum Prediger in dem dem Patronat der Kloster-Schule untergebnen Dorfe Ziegelrode designirt worden ist, bald von der Anstalt scheiden.

Zu der am 22. März durch den Königlichen Commissarius Herrn Superintendenten Dr. Fischer, Ritter ꝛc., abgehaltenen Abiturientenprüfung hatte sich nur ein Primaner gemeldet, welcher für reif erklärt und am folgenden Tage entlassen wurde.

Am Sonntage Judica wurden zwei Alumnen confirmirt und empfingen an demselben Tage, in Gemeinschaft ihrer Lehrer und Mitschüler, das heilige Abendmahl.

Der Lehrcursus des Wintersemesters wurde, nach Vollendung der halbjährlichen mündlichen und schriftlichen Prüfungen, am 11. April geschlossen; der Sommercursus begann, nachdem Tags zuvor die neuen Schüler recipirt worden waren, am 25. April und dauerte bis zum 30. Septbr.; die Winter-Lectionen nahmen am 10. Octbr. ihren Anfang.

Bei der Todtenfeier C. A. Just's, am 22. Mai, erhielten die für diesen Tag bestimmten Prämien die Primaner: Reichardt, Sickel, Nebe I. Zum Gedächtniß des unvergeßlichen Erb-Administrators, G. H. v. Witzleben, sprach am Abend seines Todestages, am 15. September, der Tertius Leidenroth.

Unter dem Vorsitze des Herrn Commissarius und im Beisein des Königl. Provinzial-Schulraths, Herrn Professors Dr. Schaub, Ritters ꝛc., bestanden am 18. September vier Abiturienten die Maturitätsprüfung und wurden am 19. feierlich entlassen.

Die Feier des Geburtstags Sr. Majestät des Königs wurde durch eine lateinische Rede des Dr. Anton eröffnet. Eine deutsche Rede hielt der Primaner Meißner, eine lateinische der Primaner Sickel, eine lateinische, gleichfalls selbst verfaßte, Ode trug der Primaner Besser vor; deutsche Gedichte hatten verfaßt und recitirten: aus der 1. Klasse Brehme, aus der 2. Lindner, aus der 3. Wartze und v. Seckendorff. Damit wechselten Chor- und Choralgesang. Mittags wurden die Schüler mit Kuchen und Wein bewirthet.

Wie herzlich der Antheil war, den die Anstalt an der Vermählung des Herrn Administrators mit der Gräfin Marie zu Solms-Baruth nahm, das zeigte die Stimmung, in welcher am 21. Novbr. die Anwesenheit der Neuvermählten durch Concert, Ball, Illumination des Klosters und Feuerwerke gefeiert wurde. Es war ein sehr froher Tag. Seine Glückwünsche hatte das Lehrer-Collegium in einem lateinischen, vom Tertius Leidenroth verfaßten Festgedicht dargebracht.

Während des ganzen Schuljahres ist, auch in den ungünstigern Monaten, der Gesundheitszustand in der Anstalt ein recht erfreulicher gewesen. Von den Lehrern haben nur zwei kurze Zeit in ihrer Thätigkeit durch Kränklichkeit sich gehemmt gesehen. Unter den Zöglingen ist kein bedenklicher Krankheitsfall vorgekommen. Aber tief erschüttert worden sind wir durch den Verlust eines der trefflichsten Schüler der dritten Klasse, A. C. F. Klemm aus Artern, welcher am 18. August beim Baden in der Unstrut seinen Tod fand. Am Abend des 22. ist seine Hülle feierlich bestattet worden.

IV. Statistische Nachrichten.

Aufgenommen wurden:

Zu Ostern 15, im Laufe des Sommersemesters 3, zu Michaelis 6.

Abgegangen sind:

Zur Universität mit dem Zeugniß der Reife: zu Ostern: Bech aus Rettgenstädt; zu Michaelis: Reichardt aus Buttstädt, von Helldorff aus Wolmirstedt, Harnisch aus Weißenfels, Koehlau aus Wiehe. Der Primaner Hunnius aus Landgrafrode ging bald nach Ostern zur Wiederherstellung seiner Gesundheit nach Leipzig, wo er jetzt, völlig genesen, Theologie studirt. Außerdem verließen 2 Secundaner die Anstalt: v. Zaluskowski folgte seinen Eltern nach Danzig; Nietzsche ging auf das Gymnasium zu Wittenberg.

Während des Wintersemesters waren folgende Schüler in der Anstalt:

In Prima.

1) Leidenroth aus Kloster Roßleben, Insp. Famulus Conr. M. Keßler.
2) Besser I. aus Wiehe, Insp. Fam. Tert. Leidenroth.
3) Sickel aus Magdeburg, Insp. Fam. Prof. Dr. Herold.
4) Steinbach I. aus Querfurt, Insp. Fam. Dr. Anton und Collab. Urtel.
5) Nebe I. aus Roßleben, Insp.
6) Labes aus Oberroßla.
7) v. Grävenitz I. aus Frehna.
8) v. Carnap aus Barmen, Extr. Dr. Anton.
9) Rechenberger aus Schlieben, Fam. Dr. Schmiedt.
10) v. Jagow aus Dalmin.
11) Meißner aus Dachrieden, Insp.
12) Brehme aus Weimar, Fam. Dr. Sickel.
13) Lindner aus Memleben.
14) v. Veltheim aus Ostrau, Extr. Dr. Anton.

In Secunda.

1) Nebe II. aus Roßleben.
2) Vollert aus Alstedt.
3) Hofmeier aus Schloß Heldrungen.
4) Kohlschmidt I. aus Knau.
5) Anton I. aus Kloster Roßleben.
6) Theune I. aus Querfurt.
7) v. Beust aus Arnshaugk.

8) Buchmann aus Hackpfüffel.
9) v. Ilten aus Gestorf.
10) Tiemann aus Delitzsch.
11) Schrimpf aus Isersheiligen.
12) Steinbach II. aus Querfurt.
13) v. Plänkner aus Altenburg.
14) Anton II. aus Kloster Roßleben.
15) Herold aus Kloster Roßleben.

In Tertia.

1) Besser II. aus Wiehe.
2) Topf aus Stolberg.
3) Sachse aus Kaisershagen.
4) Liebelt aus Querfurt.
5) Wartze aus Roßla.
6) Göschel I. aus Langensalze.
7) Iffland aus Berlin.
8) v. Breitenbauch aus Brandenstein.
9) Nebe III. aus Roßleben.
10) Schrickell aus Dürrenberge.
11) Otto aus Wiehe.
12) v. Seckendorff aus Luxemburg.
13) Schmidt aus Prüm.
14) Pfister aus Oldisleben.
15) Pabst aus Artern.
16) Wünschmann aus Oberwiederstedt.
17) v. Bülow aus Beiernaumburg.
18) v. Grävenitz II. aus Frehna.
19) Runde aus Liebenwalde.
20) W. v. Helldorff aus Wolmirstedt.
21) Ortmann aus Wickerode.
22) J. v. Helldorff aus Wolmirstedt.
23) H. v. Helldorff aus Wolmirstedt, Extr. Dr. Anton.

In Quarta.

1) Kohlschmidt II. aus Knau.
2) Theune II. aus Querfurt.
3) Göschel II. aus Langensalze.

4) v. Götz aus Frankfurt a. d. O.
5) Behmer aus Merzien.
6) v. Wintzingerode aus Adelsborn, Extr. Dr. Anton.
7) Gertung aus Heringen.
8) König aus Gr. Langerwische.
9) Steinbach III. aus Querfurt.
10) v. Kummer I. aus Artern.
11) Wißmann aus Borxleben.
12) Bernigau aus Mühlhausen.
13) v. Kummer II. aus Artern.

V. Stand des Lehrapparats.

Die Bibliothek erhielt an Geschenken:

Kutscheit Atlas der alten Geschichte und Geographie, vom Königl. Hohen Ministerium der Geistlichen ꝛc. Angelegenheiten; Conciones sacrae Georgii a Polentis ex autographo ed. Prof. Dr. Gebser, vom Herrn Herausgeber, ehemaligem Zöglinge der Anstalt; Darstellung und Beurtheilung der vornehmsten Entzifferungssysteme der drei altägyptischen Schriftarten, 2 Bde. in 4., von Dr. Schwarze, vom Herrn Verfasser, ehemaligem Zöglinge der Anstalt; Denkwürdigkeiten aus der Vorzeit von Sangerhausen ꝛc. von Lessing, 1. u. 2. Heft, vom Herrn Verfasser, Adjunct in Kloster Donndorf; Siberti und Meiring Schulgrammatik, vom Herrn Verleger Habicht; Dietr. v. Witzleben über die Hauptquellen des Pauperismus ꝛc., vom Herrn Verfasser, ehemaligem Zöglinge der Anstalt; Classici Romanorum scriptores 9. Bd. mit Comment. von Ruperti ꝛc.; Mureti scripta selecta ed. Kaiser; Xenoph. Cyropaed. ed. Schneider, vom Abiturienten Steinbach I.; Günther's Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische, 1. u. 2. Cursus; Dr. Augusti Praktische Anleitung zum Uebersetzen ins Lateinische; Börkel's Ehrengedächtniß, vom Abit. Harnisch; Matthiae griechische Schulgrammatik; Hindenburg animad. ad Xenoph. Mem.; Ernesti auserlesene Briefe des Cicero, übersetzt mit Anm., vom Abit. Rechenberger. Heinrich Sächsische Geschichte 1. 2. Theil; Friedemann Praktische Anleitung zur Kenntniß und Verfertigung lateinischer Verse, von dem Schüler v. Grävenitz I.; Luciani Charon ed. Lehmann; Xenoph. Cyropaed. c. sel. Hutchinsoni notis; Volger Leitfaden beim ersten Unterrichte in der Länder- und Völkerkunde, von v. Ilten; Kirchenzeitung von Zimmermann, 3 und 1/2 Jahrgang; Xenoph. Memorab. ed. Ernesti; Cic. oratt. sel. ex rec.

Ernesti; Phaedri fab. ed. Lange; Plutarchi vitae parallelae Tom. VIII. ed. ster., von v. Bülow; Ruthe Flora der Mark Brandenburg, von Runde; Voigt Leitfaden beim geograph. Unterrichte; Sanguin franz. Grammat., 2. Curs.; Gruner Lehrbuch der Mathematik 2. Theil, von König; Heyse theoret. prakt. deutsche Schulgrammatik; Fenelon les avantures de Télémaque; Matthias Leitfaden für den Schulunterricht; Rammler's Mythologie von v. Kummer I.; Hallische Litt.-Zeitung 1842, von einem hiesigen Lesevereine.

Angeschafft wurden:

Beckii Comment. ad Aritstoph., Vol. VI. VIII. zur Ergänzung; Aristoteles ed. Buhle, Vol. IV. V. zur Ergänzung; Thesaurus graecae linguae ed. Par., Lieferung 30. 31. 32.; Ersch und Gruber Encyklopädie I. 38. 39., II. 22. III. 18.; Gehler's physik. Wörterbuch VI. 2, IX. 1, X. 1. 2; Thucydides ed. Poppo I. 1. 2.; Tacitus ed. Walther, 4 Theile; Franke fasti Horatiani; Teufel litterar. hist. Uebersicht von Horaz; Schöll Sophokles, sein Leben und Wirken; Otf. Müller's Vorlesungen über griech. Litteratur, 2 Theile; Apel Geschichte des römischen Staats; Schuch Privatalterthümer der Römer; Musäum des Rheinisch-Westphälischen Schulmänner-Vereins; Schlosser Geschichte des 18. Jahrh. III. 2.; Ranke deutsche Geschichte im Zeitalter der Reform, 4. u. 5. Bd.; Zschocke Selbstschau, 2 Theile; Eylert Charakterzüge aus dem Leben Friedrich Wilhelm III.; Nicolovius Leben; Stimmen der Wahrheit (Gedächtnißpredigten auf den hochsel. König); Gervinus Geschichte der deutschen National-Litteratur, 5 Bde.; Immermann Trauerspiel in Tyrol; Raupach die Hohenstaufen, 8 Bde.; Uhland Ludwig der Baier; Uhland Ernst Herzog von Schwaben; Meyer Neapel und die Neapolitaner.

VI. Uebersicht der statistischen Verhältnisse

in dem Jahre von Ostern 1843 — 1844.

I. Das Lehrer-Collegium.	II. Allgemeiner Lehrplan.					III. Verhältnisse.											
	Fächer.	Klassen und Stunden.				Schüler							Abiturienten.				
						befanden sich					zusammen	wurden aufgenommen.	Es sind entlassen.	Studiren			
		I.	II.	III.	IV.	wann?	in den Klassen I.	II.	III.	IV.				wo?		was?	
Inter. Rector, Prediger und Profess. Dr. Herold.	Lateinisch	8	10	10	10	Von Ostern bis Michaelis 1843	11	13	19	17	60	18	5	Leipzig	2	Jura	4
	Griechisch	6	6	6	6									Bonn	1	Medicin	1
	Hebräisch	2	2	—	—									Jena	1		
	Deutsch .	2	2	2	2									Heidelberg	1		
Conrector M. Keßler.	Französisch . .	2	2	2	2												
Tertius Leidenroth.	Religionslehre .	2	2	2	2												
Mathem. Dr. Anton.	Mathematik . .	3	3	4	4												
Adjunct Dr. Schmiedt.	Physik .	2	2	—	—	Von Michaelis bis Ostern 1844	14	15	24	13	66	6					
Collab. I. Dr. Sickel.	Geschichte, Geographie	2	3	3	3												
Collab. II. Dr. Urtel.	Philosoph. Propädeutik .	2	—	—	—												
Cantor Hellmund, Schreib- u. Gesanglehrer.	Kalligraphie . .	—	—	2	2												
	Gesang .	1	1	1	1												
		32	33	32	32												